



**In Hoc Libello Pontificii Ora||toris continetur legatio, in
co[n]uentu Noremburgensi,|| Anno. M. D. xxij. inchoato,
sequenti vero finito ex-||posita, vna cum instructione ab
eodem legato|| ...**

Hadrian <VI., Papst>

Noremburgæ, 1523

VD16 K 320

79 [i. e. 101] Quamuis sæculares sacrosancti Romani Imperij ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65406](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65406)

Quamuis sæculares sacrosancti Romani Imperij ordines, longe grauiora, multoq; plura adhuc haberent onera, quæ æquitate interpellante, indicanda forent. At ne iustæ breuitatis modum excedere videantur, iam recensitis hoc tempore reseruatis alijs in magis commodum tempus, contenti esse volunt. Ea spe freti, ea fiducia nixi, vbi hætenus enumerata abolita fuerint grauamina, q; & reliqua vna corruitura sint.

PERORATIO, AC FINALIS PETITIO.

SVPER hæc omnia, omnium sacri Romani Imperij supplicatæ atq; inferioris conditionis Statuum, supplex est adhortatio, humilisq; precatio atq; petitio, qua sanctitati Pontificiæ supplicat, quatenus sanctitas sua, omnia prædicta onera ac grauamina sedis Romanæ, ac sæpedictorum cæterorū statuum ecclesiasticorū & personarū ecclesiasticarū; id quod non semel in præcedentibus quoq; iustis precibus postulatum est, clementer tollere, emendare, abrogareq;, & e medio auferre dignetur, ac Archiepiscopos & Episcopos, si qua in re per eorum Capitula, grauamina hæc quo minus emendare, abrogareq; auderēt, obligati forent, a promissione, obligationeq; tali, mandatis absolutorijs, seueritatem quandam, sed eam quidem necessariam præ se ferentibus, absoluere, liberareq; velit, inq; omnibus & singulis, ita paterne ac gratiose se gerere, & exhibere, q; talia onera atq; grauamina in genere, seorsimq;, quantocius ex radice funditus, ac penitus tollantur, amoueantur, & emendentur. Quod ipsum, & quidem breui, futurum, curaturq; iri Sacri Romani Imperij Status laici, vel ob Opti, Maxi, laudem præcipuum, & honorem, hinc rei quoq; ipsius necessitatem atq; æquitatem maxime, quum vt prædictum est, Sanctitas Pontificia per Oratorem & legatum suum, ita magnifice, ampliter, ac Christiane se obtulerit, indubiam, certissimamq; spem animo conceperunt.

H ij